

NUMMUS MEMORIÆ SACER
AUGUSTI ELECTORIS SAXO-
 niæ; cufus libro christianæ concordiæ edito; Ec-
 clesiarum verè Lutheranarum sym-
 bolo; Anno Christi 1581.



Quod laudibus Principis Augusti, Electoris Saxoniæ superius ascripsimus; id hoc sub nummo repetendum: seriò eum seduloque id pensi habuisse: ut recta sinceraque cælestis verbi doctrina in Ecclesijs suis scholisque floreret: quicquid ab hac diversum et emodicij damnaretur. Hinc cum dissensio de quibusdam fidei christianæ articulis, qui in Augustana confessione comprehensi sunt, in Ecclesijs incidisset, putarentque nonnulli Theologi ab Augustana confessione non nihil recessum esse, non quievit prius Heros inclutus, quàm per Theologos quosdam formulam doctrinæ, à confessione Augustana nulla ex parte discrepantem, sed antiquam illam ac *ymptas* Lutheranam fidem complectentem, scripto comprehendi curasset. Quin & zelo eiusdem, curâ, labore, sumptibusque eò tandem redacta res est, ut liber ille (dictus formula concordiæ) typis excuderetur publicis, & à reliquis etiam duobus Electoribus: Principibus verò accivitatibus plurimis approbaretur. Venit cum primis in societatem laudatissimi huius facti, Joannes Georgus Elector Brandeburgicus: quem dum viveret, æquè atque Augustum